

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Franz Albert Aepinus

**Programma Pentecostale, Qvo Civium Academicorum ... Piis Sanctoque Huic  
Festo Congruis Meditationibus Materiam De Pace, Quam Christus, Una Cum Illius  
Arrhabone Seu Pignore, Spiritu Sancto, In Hodierno Evangelio Joh. XIV. 26. 27.  
Discipulissuis Atque Fidelibus Promisit ...**

Rostochii: Typis Ioannis Iacobi Adleri, [1748?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004035012>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1748 Pfingsten

A-1296. 297.

R. 1748

RECTORÉ ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

# DN. FRIDERICO.

DUCE MEGAPOLITANO, PRINCIPE VETUSTÆ GENTIS  
HENETÆ, SUERINI AC RACEBURGI, COMITE ITEM SUERI-  
NENSI, TERRARUM ROSTOCHII ATQUE STARGAR-  
DIAE DYNASTA,  
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

---

## PROGRAMMA PENTECOSTALE,

ovo

CIVIUM ACADEMICORUM O. O. HONORATISSIMORUM  
PIIS SANCTOQUE HUIC FESTO CONGRUIS MEDI-  
TATIONIBUS MATERIAM

DE

PACE, QUAM CHRISTUS, UNA  
CUM ILLIUS ARRHABONE SEU PI-  
GNORE, SPIRITU SANCTO,  
IN HODIERNO EVANGELIO JOH.  
XIV. 26. 27. DISCIPULIS suis atque  
FIDELIBUS PROMISIT,

SUPPEDITANS,

EOS SIMUL, UT NE PACE HAC INDIGNOS SE PRÆSTENT  
NEC EAM OBSIGNANTEM SPIRITUM S. IMPROBITATE  
A SE REPELLANT,

EX OFFICIÏ RATIONE, BREVITER HORTARI VOLUIT

ACADEMIÆ HODIE PRO-RECTOR  
FRANCISC. ALBERT. ÆPINUS,  
S. TH. D. PROF. DUC. PUBL. ET CONSIL. CONSIST. COLL. DUC. PROF.  
ET FCTATIS THEOL. SEN. HUIUSQUE p. t. DECAN.



ROSTOCHII,  
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERİ, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,

M. 1296 297

\* \* \* \*

**Q**vem vivendo nos attingere sapientissima vitæ mortisqve nostræ Domini providentia voluit, Annus Seculi præsentis quadragesimus octavus, non Patriæ solum nostræ, non universæ duntaxat Germaniæ, sed roti propemodum Europæ, cum primis autem Ecclesiæ Evangelico Lutheranæ, ac omni Protestantium S. S. Religioni memorabilis existit, ita ut secularem eum atque Jubilæum haud immerito salutare queamus. Etenim ad eundem numero Seculi superioris annum retrospicientibus in memoriam statim revocatur, post tandem aliquando, quod per integra tria decennia, summâ cum violentiâ continuatum perduraverat, infaustum & infelix bellum, eo currente, Osnabrugæ Guestphalorum, quæ DEI gratia, feliciter reducta & inter eosque belligantes reconciliata stabilitaque pax. Non est hujus loci, nec temporis, qualia quantave damna, quorum vestigia non pauca nec exigua Patria nostra passim locorum vel hodie adhuc intuens deplorat, compluribus Germaniæ provinciis funestum istud bellum intulerit, enarrando vestram, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! refricare memoriam. Neque quis fuerit per isthunc annorum decursum sinceræ nostræ religionis status, qualiaque doctrinæ Evangelice puritati, speciatim & Ecclesiis Patriæ nostræ, quin Academiæ huic ipsi, sub aliquot annorum infausto Ducatus hujus violenti, quem non nisi à tyrannide Historicorum monumenta celebrant, Usurpatoris regimine, formidanda fata, ni curam suæ veritatis atque cœtus fidelium suorum gerens cœleste Numen avertisset, metuenda fuerint, commemorabo. Non enim animo sedet hac vice, nisi jucunda, nisi lœta & animum exhilarantia Vobiscum communicare, Vestrisve substernere meditationibus ulterioribus. Dum enim mox dicta pax animo recolitur, & eum oblectat, ecquid delectabilius, quid jucundius, aut majorem excitare hilaritatem valens, quid melius & magis exoptandum, quam pacem, ad Vos, more hoc festivo tempore consvero, verba facturus, edifferendo Vobis propонere, vel vovere potero?

Pacem itaque Vobis annuncio, CIVES! Pax unicum erit hodierni mei sermonis objectum. Minime tamen mundanam, quamvis, post octennio ferme continuata, varia diversisque, per magnam mundi partem locis, strenue gesta bella, Aquisgrani hac tempestate congregati Pacificatores moliuntur, quæque, si coaluerit, Posteris fortasse nostris, post Seculi hujus elapsum insequuturi annum quadragesimum octavum eo memorabiliorum representabit, animo, velim, pacem concipiatis. Quantumlibet enim mundana quoque pax permagnum Cœli beneficium sit, & optimum

inter

inter communia humano generi divinitus concessa munera censeri mē-  
reatur ; sāpe tamen vacillans eadem & fallax est, facile mutabilis ac utur  
æternitatis quandoqve notam additam habuerit, nihilominus vix tempo-  
raria dicenda, experientia nullorum non temporum , & ipsius bellico-  
fissimi hujus Seculi ætatisqve nostræ largissime condocente. Ut, illam non  
nisi corporalia tantum & temporalia, qvæ hujus solum vitæ sunt, bona  
commodave pro fine habere, silentio præteream. At vero , cujus ipse  
præconem me jam præsto, pax conditionis atqve momenti longe melioris  
est, spiritualia nimirum animam qvæ tangunt, coelestia & æterna respiciens,  
eademqve firma, stabilis &, nisi nos ipsi, proærtice peccando, eam rum-  
pamus, nunquam unqvanq interrupienda, in omnem duratura æternita-  
tem. Verbo : Pacem annuncio Vobis , qvam ipse Salvator noster dul-  
cissimus in hodierno, qvam Verbi divini Præcones prolixius proponere  
habent, Evangelii pericopa Discipulis, & omnibus fidelibus, unà cum  
Spiritu S. tanqnam illius arrhabone, ac pignore, indeqve Spiritum Pacis  
omnino dicendo, promisit. Sic autem ille : *Pacem, inquiens, relinquo vo-  
bis, pacem Meam do vobis : non sicut mundus dat, Ego do vobis :* JOH.  
*XIV. 27.* Non intelligere heic Dominum pacem hujus seculi sive mun-  
danam , externam atqve temporalem, unicuique , verbis attendenti , co-  
gnitu facillimum, arbitror, esse. De hac enim alibi, *Mattb. X. 34.* lo-  
quutus, qvantum videlicet ad personam ejus, doctrinam atqve Religio-  
nem attinet, pronunciavit : *Ne existimate, quod venerim ad mittendum pa-  
cem super terram : non veni, ut mitterem pacem, sed gladium,* i. e. uti Met-  
onymiam hanc *Lucas XII. § 1.* exprimit, *diἀρρεγτον, divisionem, diſſi-  
dium, separationem.* Non, qvod ipse directe intenderit bella & dissidia,  
vel eorum efficiens causa sit ; est enim Princeps pacis, *Ef. IX. 5.* est cum  
Patre Spirituque S. Deus pacis, *I. Thess. V. 23.* sed qvod omniscientiâ  
suâ prævidebat, fore per accidens, propter ingeniorum in mortalibus non  
diversitatem solum, verum etiam perversitatem, *I. Cor. I. 23. II. 14.* ut de  
sua tam persona, qvam doctrina varia exoritura essent in mundo dissidia,  
& Evangelii prædicationem multæ , vel inter domesticos arctissimoqve  
vinculo junctos, lites conseqverentur; velut ipse declaravit, apud Mat-  
theum l. c. v. 35. 36. & Lucam v. 52. 53. Neque pax mundana & exter-  
na cum fatis, qvæ , propter nomen suum, eos mansura, Discipulis suis,  
Salvator, pacem promittens, *Joh. XV. 19. 20. 21. XVI. 2. 3. 33* alibique,  
simul prædicebat, poterant consistere. Gladii namque vocabulo cujuslibet  
generis significantur persecutions, afflictiones & anxietas, cujusmodi sa-  
pius eos oportuit experiri. Nec ullum allegari tempus poterit, quo non  
Satanas, per mancipia sua, diris plane modis Ecclesiam affixerit, eamqve

hostiliter persequebendo, ni DEus omnipotens sua machinationibus illius  
impedimenta poneret, vel funditus diruere ac evertere sit conatus, quem-  
admodum omnis ævi historia contestatur. Neque CHristo Domino fide-  
liter adhaerentibus, quamdiu in hoc mundo vivunt, bella certaminaque, licet  
non corporalia, spiritualia cerre desunt. Non dicam de bellis ab Hæreticis  
Ecclesiæ per omnia fere secula motis, quæque contra alios eandem impu-  
gnantes, veritatis Evangelicæ divinitus revelatae Doctores ac assertores  
gerere debent, Tit. I. 10. 11. Pugnandum etenim Christianis singulis tempore  
est adversus hostem irreconciliabilem, Diabolum, Ephes. VI. 10; & qu. I. Pet.  
V. 8. 9. & in quo degunt, ipse mundus insidias ipsis struit, quem debel-  
lare vincereque oportet, I. Job. V. 4. Quidque majus est, a lucta cum  
propria sua Spiritui rebellatrice carne non immunes sunt, Rom. VII. 22.  
23. Gal. V. 17. Licerunt autem in carne ambulent, non tamen juxta car-  
neum militant, armisque militiae hujus non sunt carnalia, 2. Cor. X. 3. 4. Quæ cum ita sint, neminem reor, futurum esse, qui non intelligat, Salva-  
torem, Discipulis atque fidelibus suis pacem hec promittentem, non nisi  
spiritualem ac internam, nequitiam autem externam atque mundanam  
in hac vita pacem, intellectam voluisse. Idque vel ipsa illius arguunt ver-  
ba, promissioni huic annexa: *Non sicut mundus dat, Ego do vobis.* An-  
notatum equidem invenimus in N. T. Græco cum Lectione, variant, Mil-  
lio-Kusteriano, verba hæc οὐ καθὼς ὁ κόσμος διδωτῶν, εγὼ διδοὺς γεινόμενος  
tribus in Codicibus manuscriptis deesse; verum hinc tantæ non erunt auto-  
ritatis, ut tot aliarum, & tantum non innumerarum editionum fidei de-  
rogare, vel autoritatem infringere queant. Nec causæ quid cogitari pot-  
est, cur non Salvator ita discipulis suis loquutus fuisset. Reges quippe  
mundani mundanam tantum subditis suis dare possunt pacem: at CHristi  
Regis regnum non est de hoc mundo, Joh. XXIX. 36. Quare, cum ad-  
versa in mundo fata Discipulis, hoc valedictorio sermone vaticinaretur,  
contristatos jam ob abitum abhinc suum, consolatus, animos ipsorum  
simil erigere & exhilarare volebat promista pace, quæ cum afflictionibus  
atque presluris perpetiendis consistere posset, interna nimis tamen atque spi-  
rituali, quam mundus dare non potest. Sic ipse hoc utrumque conjun-  
xit Joh. XVI. 33. *Hæc, inquiens, loquutus sum vobis, ut in me pacem ha-  
beatis: in mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego vici mun-  
dum.* Ut adeo scopus loquientis integerque contextus sermonis additum  
hocce, quod velut explicationis loco esset, qualinam pace sint gavisuri, po-  
tius postulasse, sit judicandum.

Spiritualem igitur & internam in textu nostro pacem, quam CHri-  
stus se daturum promisit, intelligi debere, sic extra dubium jam positum  
esse

esse, reor. Qvando vero, se pacem hanc daturum edixit, eo non excluduntur ab illius largitione Pater atque Spiritus S. De isto namque Petrus *Aet. X.* 36. prædicat, qvod miserit verbum filii Isrælis, evangelizans pacem per JEsum CHristum. De hoc autem Paulus *Rom. XIV.* 17. afferit, regnum DEI justitiam & pacem & gaudium esse in Spiritu S. sicut & *Gal. V.* 22. inter fructus Spiritus pacem refert, qvam omnimodam qvidem, præcipue tamen internam, existimamus, intellectuisse. Nec opus erit, demonstrasse, totam S. S. Trinitatem isthane nobis pacem conferre, siqvidem qvæ DEus extra suam essentiam in nobis operatur, indivisa sunt, & ab una eademque trium DEItatis personarum voluntate potentiaque profiscuntur, coll. *Job. V. 19.* Quemadmodum & Johannes *Apoc. I. 4. 5.* a DEO Trinuno septem illis, ad quas scribebat, Ecclesiis in Asia gratiam & pacem precatur. Est itaque hæc Pacis donatio DEI Trinunius opus. Sed suam tamen CHristus hanc pacem pronunciat, quoniam singulari ratione Auctor ejusdem existit, quapropter ipsam certo modo sibi vindicare suamque dicere potuit. Scilicet, non, uti Pater & Spiritus S., causa illius efficiens solum est, sed & meritoria, quippe quam passione sua morteque justitiæ divinæ peccatis nostris læsæ satisfaciendo nobis meritus est & acquisivit, *Ez. LIII. 4. 5.* DEOque sic nos reconciliavit, *I. Job. II. 1. 2.* Hinc metonymice *Pax nostra* dicitur *Eph. II. 14.* similem in modum, uti *Jerem. XXVII. 6.* nomen ipsius vocatur Jehovah justitia nostra, qualis nobis a DEO factus dicitur *I. Cor. I. 30.* & ipsem: Ego sum, infit, resurrectione & vita, *Job. XI. 25.* quia nimurum merito suo nobis justitiam, resurrectionem atque vitam & acquisivit, & dat. Dat autem pacem, quam in loco nostro promisit, nobis hodie quoque, verum non immediate, sed Evangelio, quod in diebus carnis suæ propria in persona predicavit, hodieque literis consignatum ministrorum suorum opera nobis annunciarci facit. Hinc istud Evangelium pacis in Scriptura audit, *Eph. VI. 15.* hi vero Pacem Evangelizantes, *Rom. X. 15.* eoll. *Esa. LII. 7. Nah. II. 1.* & pro CHristo, *2. Cor. V. 20.* ac ad notum in parrhesia faciendum mysterium Evangelii, legatione fungentes, *Eph. VI. 19. 20.* dicuntur.

Quod si jam queratur: Quo in illa pax consistat, quæve formalis ejusdem ratio sit? dubitandum non est, quin Salvator eam etiam resperberit pacem, qua, sublata per carnem suam, quæ Judæos inter atque Gentiles haec tenus vigebat, inimicitia, unum ex ambobus fecit, intergerini patetis septo soluto, ut duos crearet per se in unum novum hominem, atque reconciliaret ambos in uno corpore DEO per crucem, occideretque inimicitiam per illam, ut accessum haberent utriusque in uno Spiritu ad

Patrem ; prout eam Apostolus describit, ab eaque facta, CHristum Pa-  
cem nostram vocavit, *Eph. II. 14. - - 19.* quam & Prophetæ quondam  
vaticinando futuram prædixere, cum primis *Ez. II. 2. 3. 4.* & *Micha IV.*  
*1. seqq.* Verum, ista pax nec sola heic concipienda, nec pro primaria,  
quam Dominus proniiteret, habenda venit, quippe quæ, ceu generalis  
atque communis, adductionem utriusque populi ad Ecclesiam CHristi pro  
fine tantum habebat. Procul autem omni dubio Salvator ad Ecclesiam  
suam jam adductis & in ea per fidem existentibus, sibique adhærentibus,  
quales ipsius Discipuli, queis immediate promissio hæc facta, erant, sin-  
gularem singulis, a mundo licet graviter afflictis, sub illo cruciatu , pro-  
priam pacem voluit promissam. Et hæc ea est, de qua Paulus *Rom. V.*  
*1.* scribit : *Justificati itaque fide, pacem habemus erga DEum per Dominum*  
*nostrum JESUM CHRISTUM.* Natura namque nos omnes filii quidem iræ  
sumus, *Eph. II. 3.* & inimici DEI, *Rom. V. 10.* at per mortem Filii ejus  
ipsi reconciliati, *ibid.* hinc a Spiritu S. per Baptismum, lavacrum illud in  
verbo, regeniti atque sanctificati, *Tit. III. 5. 6.* coll. *Eph. V. 25. 26.* in  
filios DEI adoptati, *Gal. III. 25. 26.* adeoque hæredes facti juxta spem vi-  
tæ æternæ, *Tit. III. 7.* Hæc est illa vera spiritualis & interna , salutaris  
& æternum duratura pax, quam ad Patrem suum abiturus Salvator in di-  
cto nostro promisit, quæ cum cruce & afflictionibus externis in hoc mun-  
do, juxta effatum illius *Job. XVI. 33.* consistere potest. Hæc animam  
contra hostes supradictos belligerantem confortare, in pressuris sustenta-  
re, in tribulationibus erigere, atque sub cruce refocillare ac consolari pot-  
est, ut sit quasi dolens, semper tamen gaudens, *2 Cor. VI. 10.* Quem-  
admodum autem sine fide DEO placere nemo potest, *Ebr. XI. 6.* ita nec  
alii, juxta mox allegatum ex *Rom. V. 1.* dictum Paulinum, nisi fide per CHri-  
stum Dominum nostrum justificati, pacis hujuscum DEO capaces sunt,  
iisque soli ingentium, quæ justificationem ex fide ac pacem erga DEum  
consequuntur, bonorum participes fieri queunt. Quænam illa sint, gra-  
vier eodem loco v. 2. 3. 4. 5. idem Apostolus edocet, scribens : *Per*  
*quem (Dominum videlicet JESUM CHRISTUM) & aditum habemus fide in*  
*gratiam hanc, in qua stamus, (conf. hic Eph. III. 12.) & gloriamur sub spe*  
*gloriae DEI.* Non autem id solum, sed etiam gloriamur in afflictionibus sci-  
entes, quod afflictio patientiam operatur ; Patientia vero probationem ; pro-  
batio vero spem ; spes autem non pudefacit, quia dilectio DEI effusa est in  
cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis. Addito v. 10. Si,  
cum essemus hostes, reconciliati sumus DEO per mortem Filii ipsius : multo  
magis reconciliati salvabimur in vita ejus. En! tanta sunt, quæ per pacem,  
quam CHristus fide justificatis dat, consequimur dona & bona.

Solent,

Solent, quæ diutina contentione adversus invicem arma gessere,  
Potestates hujus mundi, quando tandem eos bellorum pertulsum est, pacem  
vicissim inter sed coeuntes, de istius confirmacione, quo stabilior futura sit,  
sollicitam agere curam. Persepe quippe fit, ut sunt ingenia mortalium  
mutabilia, partem alterutram a pacto resilire, ruproque pacis & amicitiae  
restabilita vinculo, ad arma reverti ac bellum de novo redintegrare.  
Quam saepe etiam non fit, quod mortales, proæretice peccando, Divinam  
justitiam offendant, pacem, quam Christus ipsis & meritus est & dat, vio-  
lent, dono hoc, ut ejus inimici, se prorsus indignos reddentes. At ali-  
ter pacis istius Autor & Dominus. Uri voluntas ipsius immutabilis est,  
verbum & ejus rectum, & omne opus ejus in veritate, *Ps. XXXIII. 4.*  
servans veritatem in æternum, *Ps. CXLVI. 6.* Sic & insuper, ut de pro-  
missa nobis pace certiores nos faceret, unà cum illa Spiritum S. & pro-  
mittit, & dat, velut arrham & pignus, pacem in cordibus nostris obsig-  
nans atque confirmans. Non solum eum promisit in Evangelio nostro,  
*Job. XIV. 26. XV. 26.* Verum etiam dedit, hodieque credentibus dat,  
attestante Paulo *2 Cor. I. 21. 22.* scribenre : *Qui confirmat nos vobis cum  
in CHristum, & unxit nos, DEus est. Qui etiōm obsignavit nos, & dedit  
arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.* Dat autem eundem, non minus  
ac pacem illam, per Evangelium de CHristo, quippe quod est potentia  
DEI ad salutem omni credenti, *Rom. I. 16.* Sic enim Apostolus *Ephesi-  
os cap. I. 13. 14.* alloquitur : *In quo (CHristo) etiam vos (speratis) post-  
quam audivistis verbum veritatis, Evangelium salutis vestrae : in quo etiam  
credentes obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæredita-  
tis nostræ, in redemptionem possessionis, in laudem gloria ipsius.* Merito pro-  
inde Spiritum S. ceu Spiritum pacis & agnoscimus, & veneramur.

Hæc talia, quæcum illis connexa sunt, alia plura, sunto, CIVES  
OPTIMI ! quæ, sicut omni tempore vita, sic in praesente cum primis Spi-  
ritus S. honori peculiariter consecrato Festo, Pentecostalibus nostris in  
pietate substernamus meditationibus ulterioribus. Vel ipsum, quod ce-  
lebramus, Festum ejus nos admonet. Requirit id pietas & ipsa pax erga  
DEum, quam CHristus merito suo nobis acquisivit, quaque nos in regene-  
ratione atque justificatione donavit. Postulat cultum hunc atque hono-  
rem ipse Spiritus S. a CHristo in corda nostra, ceu pignus & sigillum da-  
tam nobis pacem obsignans, missus. Exigit propria nostra salus, quam  
sine pace CHristi, sineque Spiritu S. nullus ullus unquam obtinere potest.  
*Videte, Johannes I. Ep. III. 1.* nobis acclamat, *quantam dilectionem dede-  
rit nobis Pater, ut, cum inimici DEI & iræ filii essemus, filii DEI vo-  
cemur.* Hæc filatio pacem erga DEum, atque Spiritus S. donationem con-  
junctam

junctam habet: quare qui se peccando Patre cœlesti filios indignos gerunt, dilectione gratiaque Patris excidunt, atque cum filiatione pace cum DEO privantur, Spiritus S. ab iis recedit, & spe hæreditatis æternæ defituuntur. Amittunt autem hæc omnia, quoniam iniquitates eorum dividentes sunt inter eos & DEum, & peccata ipsorum abscondunt faciem ab illis, ut non audiat, *Ef. LIX. 2.* Quare nos Apostolus *Eph. IV. 30.* grauiter hortatur, ne contristemus Spiritum S. DEI, quo obsignati sumus in diem redemptionis. Eo namque a nobis recedente, consequens est, reliquis, quæ diximus, quæque præsentia ipsius & inhabitatio in nobis secum fert, bonis omnibus carere nos oportere. Quamobrem Paulus cœribus fidelium ad CHristum conversorum, quibus scripsit, nil melius apprecari se posse, ratus est, quam Pacem erga DEum in CHristo JESU, quem admodum passim Epistolarum ejus videre est. Quocum & nos ex *Phil. IV. 17.* precamur: *Pax DEI, quæ superat omnem intellectum, custodiat corda nostra, & sensus nostros, in CHristo JESU.* Et ut nunquam unquam ex ea excidamus, seriis quotidie votis, ex *Ebr. XIII. 20. 21.* rogemus: *DEus pacis, qui reduxit a mortuis Pastorem ovium illum magnum per sanguinem testamenti æterni, Dominum nostrum JESUM, perficiat nos in omni opere bono, ad faciendum voluntatem ipsius, efficiens in nobis, quod acceptum sit in conspectu suo, per JESUM CHristum, cui gloria in secula seculorum*

A M E N!

---

P. P. SVB SIGILLO ACADEMICO,  
ROSTOCHII FER. I. FESTI PENTECOSTES, D. II. JVNII,  
ANNO MDCCXLIX.







Solent, quæ diutina contentione adversus invicem  
 Potestates hujus mundi, quando tandem eos bellorum pertæ  
 vicissim inter sed coeuntes, de istius confirmacione, quo stab  
 sollicitam agere curam. Persæpe quippe fit, ut sunt inge  
 mutabilia, partem alterutram a pacto resilire, ruptoque pac  
 restabilitate vinculo, ad arma reverti ac bellum de novo  
 Quam sæpe etiam non fit, quod mortales, proæretice pecca  
 justitiam offendant, pacem, quam Christus ipsis & meritus  
 lent, dono hoc, ut ejus inimici, se prorsus indignos redde  
 ter pacis istius Autor & Dominus. Uri voluntas ipsius in  
 verbum & ejus rectum, & omne opus ejus in veritate,  
 servans veritatem in æternum, *Pf. CXLVI. 6.* Sic & insu  
 missa nobis pace certiores nos faceret, una cum ilia Spiriti  
 mittit, & dat, velut arrham & pignus, pacem in cordibus  
 nans atque confirmans. Non solum eum promisit in Eva  
*Job. XIV. 26. XV. 26.* Verum etiam dedit, hodieque ci  
 attestante Paulo *2 Cor. I. 21. 22.* scribente : *Qui confirma*  
*in CHristum, & unxit nos, DEus est. Qui etiō obſignavit*  
*arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.* Dat autem eunder  
 ac pacem illam, per Evangelium de CHristo, quippe quo  
 DEI ad salutem omni credenti, *Rom. I. 16.* Sic enim Ap  
 os cap. I. 13. 14. alloquitur : *In quo (CHristo) etiam vos*  
*quam audivistis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ*  
*credentes obſignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est ari*  
*tis nostræ, in redemtionem possessionis, in laudem gloria ipsius.*  
 inde Spiritum S. ceu Spiritum pacis & agnoscimus, & ven

Hæc talia, quæcum illis connexa sunt, alia plura,  
 OPTIMI ! quæ, sicut omni tempore vita, sic in prefente ci  
 ritus S. honori peculiariter consecrato Festo, Pentecostali  
 pietate substernamus meditationibus ulterioribus. Vel ip  
 lebramus, Festum ejus nos admonet. Requirit id pietas &  
 DEum, quam CHristus merito suo nobis acquisivit, quaque  
 ratione atque justificatione donavit. Postulat cultum hunc  
 rem ipse Spiritus S. a CHristo in corda nostra, ceu pignus  
 tam nobis pacem obſignans, missus. Exigit propria nostra  
 sine pace CHristi, sineque Spiritu S. nullus ullus unquam o  
*Videte, Johannes I. Ep. IV. 1.* nobis acclamat, *quantam di*  
*xit nobis Pater, ut, cum inimici DEI & iræ filii essemus, f*  
*mur.* Hæc filiatio pacem erga DEum, atque Spiritus S. do

